

PONTIFICIA UNIVERSITAS LATERANENSIS

---

ACADEMIA ALFONSIANA

INSTITUTUM THEOLOGIAE MORALIS

# STUDIA MORALIA

II

DESCLÉE & SOCII - EDITORES PONTIFICII

ROMA — PARIS — TOURNAI — NEW YORK

*Imprimi potest*

G. GAUDREAU, Sup. Gen. C.ss.R.

10 decembris 1964.

Curia Archiepiscopalis Perusina

*Imprimatur*

Perusiae, 20 decembris 1964

DOMINICUS DOTTORINI, Vic. Gen.

## INDEX

VISSER J., c.ss.r., <i>Introductio</i> . . . . .	7-9
BUIJS L., c.ss.r., <i>De Theologia morali et Sermone Montano</i> . . . . .	11-41
ENDRES J., c.ss.r., <i>Genügt eine rein biblische Moraltheologie?</i> . . . . .	43-72
KOCH R., c.ss.r., <i>L'imitation de Dieu dans la morale de l'Ancien Testament</i> . . . . .	73-88
CAPONE D., c.ss.r., <i>Dissertazioni e Note di S. Alfonso sulla probabilità e la coscienza dal 1764 al 1769</i>	89-155
HORTOLANO A., c.ss.r., <i>La superconciencia moral cristiana</i> . . . . .	157-173
O'SHEA K., c.ss.r., <i>Religious awe: an existential dimension of divine faith</i> . . . . .	175-189
PETERS B., <i>La valeur morale de l'intimité personnelle. Un problème actuel posé à propos de l'influence pharmacologique délibérément exercé sur la personnalité</i> . . . . .	191-254
O'RIORDAN S., c.ss.r., <i>The problem of pastoral theology</i>	255-275
DE MARGERIE B., s.j., <i>Mission des confesseurs et conscience sociale</i> . . . . .	277-291
FORNOVILLE TH., c.ss.r., <i>Réflexions d'un croyant sur « La foi d'un incroyant »</i> . . . . .	293-326
SAMPERS A., c.ss.r., <i>Quaedam de Academia Alfonsiana notitiae</i> . . . . .	327-336
Index vol. I <i>Studio Moralia</i> . . . . .	337

## INTRODUCTIO

*Praesenti libro continuatio offertur seriei «Studia Moralia», cuius praeterito anno Academia Alfonsiana primum volumen in lucem edidit apud Editricem «Ancora». Iam statim hac occasione opportunitas visa est novam sicut et sequentes editiones curae committere domui editrici, quae aptius accomodata esset convenienti divulgationi internationali; domus «Desclée» hanc commissionem libenter conceditam libenter accepit.*

*Curam hoc II Volumen in unum colligendi habuit nova Commissio Redactionis quae interim instituta est, quaeque etiam in posterum publicationes huius seriei pressius curabit et invigilabit. Commissio componitur quatuor Professoribus Academiae Alfonsianae, scilicet (ordine alphabetico) Theodoro Fornoville, Roberto Koch, Ioanne O'Riordan et Augustino Regan; Prof. Fornoville munere fungitur Secretarii. Quod autem iam pro I Volumine praemonitum est, etiam pro futuro valebit: ideae videlicet in articulis expressae de se non sunt nec Academiae nec Commissionis, sed auctorum qui articulis subscribunt.*

*Compositio praesentis voluminis eiusdem est indolis ac in primo: est enim collectio articulorum de re morali et pastoralis, qui non arte unico subiecto speciali connectuntur, sed libere confecti et oblatis, vinculo satis laxo coordinati sunt. In mente tamen est futuro tempore, si Deus voluerit, interdum volumina edere integre dedicata unico subiecto undique illuminando; proximum volumen consecrabitur considerationibus moralibus et pastoralibus circa vitam hominis in communitate christiana.*

*Articuli heic collecti apte sub 4 sectionibus distribui possunt.*

1. Ad primam sectionem, quae vocari potest de fontibus theologiae moralis reducuntur articuli L. BUYS et J. ENDRES, qui uterque, diverso tamen aspectu, agunt de instituenda quidem theologia

*morali evangelica, in qua tamen et lex naturalis fundamentalem locum occupet tamquam fons, et ratiocinium philosophicum tamquam instrumentum necessarium. Et notandum est, quod solutio problematis hic agitati non influat in solam methodum sed etiam in ipsam vitam moralem, uti a theologis ducenda concrete proponitur.*

2. *Sub secunda sectione ordinantur articuli, qui de ipsa theologia morali materialiter agunt: quidam vero ad theologiam fundamentalem, quidam ad specialem pertinentes.*

*De materia theologiae fundamentalis agit R. KOCH disserens de imitatione Dei, quae tamquam principium rectae vitae moralis iam adumbratur in Veteri Testamento, sub aspectu quidem quo Deus magis seipsum revelavit sc. tamquam bonum et misericordiosum. D. CAPONE et A. HORTELANO agunt de conscientia morali alio tamen et alio sensu. Dum Capone (continuando studium iam incoeptum in I Vol.) conscientiam consideret iuxta traditionalem verbi significationem i.e. tamquam iudicium practicum intellectus humani de hic et nunc agendo; ac in specie evolutionem dilucidet sententiae S. Alfonsi circa conscientiae rectae formationem in adhibendo elementa probabilitatis, quae practicum iudicium sufficienter fundatum reddunt; Hortelano conscientiam tractat sub aspectu religioso, scilicet in quantum manifestat appellationem Dei, hominem ad Se vocantis, cui homo respondere debet. Quae elementa, nedum sibi contradicant, necessario se integrare debent in concreta sequela Christi, quam recta theologia moralis homini proponere satagit.*

*Ad theologiam moralem specialem pertinent articuli K. O'SHEA et B. PETERS. Quorum prior agens de actu fidei, quae toti vitae morali fundamentum substernere debet, eius veram structuram describit tamquam adhaesionem non mere intellectualem veritatibus revelatis, sed affectuosam et reverebundam personae Dei se revelantis et nos vocantis. Alter autem principia solutionis afferre conatur circa problema antea satis neglectum, quod hodie tamen propter media moderna inspectionis et penetrationis in vitam intimam personalem ad accuratius studium urget.*

3. *In tertia sectione, quae ad theologiam pastoraalem spectat, primo ponitur articulus J. O'RIORDAN, qui disserit de natura ac-*

*curatius delineanda scientiae theologiae pastoralis eiusque relatione ad theologiam dogmaticam et moralem, in quantum ipsa istarum doctrinam generaliter et in abstracto conceptam, concreto modo fidelibus proponere et inculcare contendere debet. Quod B. de MARGERIE practico exemplo demonstrat, proponendo methodum melius docendi et ducendi fideles in applicando vitae quotidianae generalia principia circa obligationes sociales, quae in pluribus regionibus adhuc nimis libris doctrinalibus recondi solent.*

*Concluditur articulorum series dissertatione philosophica Th. FORNOVILLE, in qua praesentatur analysis critica atheismi moralis nuper propositi a Fr. Jeanson in suo libro: La Foi d'un Incroyant.*

*Quod in I Vol. fuit voto expressum, praesenti volumine iam feliciter impletum gaudemus: auctores scilicet articulorum non solum inter Professores Academiae Alfonsianae connumerantur, sed plures aliunde collaborationem suam obtulerunt: Revv. B. Peters (e clero saec. Hollandiae), B. De Margerie S.J. (Brasilia) et K. O'Shea C.ss.R. (Australia). Libenter in futuro et aliorum cooperationem accipere speramus.*

*Ad utilitatem lectorum, praesertim auctoritatum ecclesiasticarum necminus ex-alumnorum nostrorum, qui iam ubique terrarum sparsi professoratum aliave munera obeunt, in appendice breves exhibemus de fine et vita nostri Instituti notitias ab eiusdem Secretario selectas.*

J. Visser